

bus, & Saonensibus Episcopis per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, seu alios premissa omnia, & singula, ubi quando, aut quotiens expedire cognoverint, & fuerint desuper pro parte successorum predictorum requisiti solemniter publicantes, ac eisdem dicti Joannis successoribus in premissis efficaci presidio assistentes faciant ea omnia, & singula inviolabiliter observari non permittentes successores ipsos super his per aliquos indebite molestari, vel inquietari, ac eos, quos eis contrafecisse constiterit toties *semper* quoties opportunum fuerit excommunicationis penam predictam incurrisse declarent, ac legitimis super his habendis servatis processibus, eos iteratis vicibus aggravent, excommunicatos quoque aggravatos publice nuncient, ac ab aliis nunciatos, & ab omnibus arctius evitari mandent, & faciant contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, que idem predecessor in dictis suis litteris voluit non obstare; contrariis quibuscumque &c., seu si aliquibus communiter, vel divisim a predicta sit sede indultum, quod interdicti suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Si quis autem hoc &c. Datum Rome apud s. Petrum anno Incarnationis dominice millesimo quadringentesimo octuagesimoquarto pridie Kalendas februarii Pontificatus nostri anno primo.

*Præceptum delegatorum a S. P. factum Danieli Vistarino, ut dimittat hæreditatem Jo. Bascheriæ in pontis constructionem super Burmidam convertendam. Ex Arch. civit.*

95  
MCCCCLXXXI.  
Tiburtius Bulla Presbyter, & Rainaldus Deporta Canonicus Aquensis executores . . .  
. . . . . Apostolici . . . . . Danieli Vistarino legum doctore . . . . . salutem . . . .  
Litteras Innoc. VIII. . . . . accepimus per Scurrotum procuratorem piarum causarum, & mense Episcopalis . . . . . sub hoc tenore. Innocentius &c. Accepimus quod quondam Joannes Bascheria Laicus Aquensis eadem universalem instituit quondam Joannem Thomam Bascheriam ejus filium legitimum, & naturalem, et si idem Joannes Thomas decederet sine liberis, vel ab intestato ei substituit Nicolinum Bascheriam Testatoris fratrem. Et si dictus Nicolinus decederet sine filiis . . . .  
eo casu bona ipsius testatoris debeant vendi, & pretium eorum bonorum converti in fabricam unius pontis super flumen Burmide in territorio Aquensi loco designando per consilium Aquense . . . .  
& evenerit conditio predicta, nec sint in eo testamento deputati aliqui executores, & venerabil. Frater Constantinus Episcopus Aquensis, ad quem tam pie voluntatis executio pertinere dignoscitur

Rome resideat . . . . . evenire possit, quod bona ipsa dissiparentur . . . . . constituimus, ut tres, vel duo, vel unus Canonicus se informet, & premissa subhastatione plus offerenti vendant. Dat. Rome apud s. Petrum pridie idus aprilis an. VII. Joannes Burchardus.

Vos D. Daniel Vistarine hereditatem ac bona hec . . . . . occupare indebite velle videmini. Nos igitur mandata Apostolica exequi volentes vos Danielem citamus, & monemus, quatenus die XX. proxime sequenti post harum presentationem in claustrum Ecclesie cathedralis comparere studeatis . . . . . alioquin &c.

Dat. Aquis die XII. novemb. MCCCCLXXXII ind. IX.

*Privilegium Nundinarum, & facultas pontis super Burmiam consiruendi Aq. civ. concessa. Ex Arch. civ.*

MDIX.

96

Gulielmus Marchio Montisferrati S. R. I. P. V. Q. PP. &c. sincera fides &c. . . . . annuere volentes petitionibus per ipsos cives ob hanc concessionem obtinendam nobis sepius portetis . . . . . predictis civibus, & comunitati . . . . . concedimus . . . . . quod perpetuis temporibus possint celebrare nundinas . . . . . inchoandas in festo s. Crucis de mense septembris, & finiendas in calendis octobris singulis annis francas, exemptas, & immunes ab omnibus daciis, pedagiis, collectis vestigalibus, & aliis omnibus quibuscumque, que deferrentur ad ipsam civitatem, & ab ea extrahentur nundinarum tempore durante, & quod omnes persone, que venerint ad ipsas nundinas ipsis durantibus non possint pro causa pecuniaria, aut aliquo debito publico, vel privato detineri, arrestari, vel gravari, vel molestari in persona, nec in bonis, sed tutum liberum, & securum accessum, & redditum habeant. Mandantes &c.

Dat. Casali die XXI. mens. novemb. MDIX.

Maimonus.

Insuper eisdem civibus, & comunitati, ut facilius, & comodius ad balnea, & ad alias partes, & loca ultra Burmidam existentes transire, & accedere possint, suis benemeritis sic postulantes licentiam concedimus, & facultatem construendi . . . . . super ipso flumine Burmide pontem ligneum, vel lapideum prout ipsis civibus videbitur &c.

*Absolutio pœnarum, in quas inciderant Aquenses ob invasionem factam in locum castri Rocherii, damnaque illata. Ex Arch. civ.*

MDXVII.

97

Gulielmus Marchio Montisferrati S. R. I. P. V. Q. PP. &c. Cum comunitas . . . . . & particulares persone utriusque sexus civitatis nostre Aquis fuerint per diversos Judices intulatos de diversis criminibus . . . . . & contra eosdem Aq. fuerint formati plures, & diversi processus criminales tam per egregium Antonium della Torre de